

*dum.* Ad docendum autem requiritur tam commoda & perspicua eorum quæ proponuntur declaratio, quam sufficiens eorundem probatio. Requirit porro apostolus Tit.I, 9, ut possit τις αὐτιλεγοντας ελεγχειν, *contradicentes redarguere & convincere.* Jam vero nunquam sane intrepide & absque formidine oppositi argumentabitur, qui non intelligit *fontes*; fontes autem nemo intelligit, absque sufficienti linguarum notitia, quibus utriusque testamenti libri primis autoribus inspirati sunt, h. e. sine cognitione *linguarum orientalium*, in primis *Græcæ*, *Hebræe*, *Chaldaicæ*. Dein, qui destituitur accurata cognitione artis illius, quæ *consequentiarum regulas tradit*, *is profecto*, quoties cum adversario in arenam descendit, vel ex iis, quæ revelata sunt, conclusiones deducere satagit, turpiter vietus, ignorantiam suam nimis sero deplorabit. Præterea, qua ratione quis *apta oratione* ad vitæ sanctimoniam & actiones Christiano homine dignas, populum perducere poterit, qui neque intimos humanæ mentis recessus, nec varias hominum inclinationes, nec causas, ob quas homines certis animi affectibus commoveri soleant, ex ea arte didicerit, quæ facultatem suppeditat, perspiciendi ea, quæ rei insunt apta ad persuadendum? Occurrunt etiam plurima in scriptura S. & explicandis fidei mysteriis, quæ absque *disciplinarum philosophicarum* notitia nec intelligi fatis, nec commode explicari possunt. Si quis de eo dubitat, evolvat Georg. Calixti Appar. Theol. in quo a p. 12. ad p. 59. distincte, perspicue & accurate agit de *usu linguarum & disciplinarum in Theologia*. De *scholis* V. T. testatur appellatio בְּנֵי־הַנְּבִיאיִם, filiorum prophetarum, I. Sam.